



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Proxima, parag. 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

a Leand.
tr. 4. de
Extr. Vn.
d. 2. q. 11.

8. Huic sententiæ Emmanuelis favet Leander a dicens, post longam consultationem cum multis Theologis, fuisse resolutum, ut suppartem prædictum Oleum vetus non peccare mortaliter.

b Leand.
loc. cit.
c Castrop.
de Extr.
Vnct. p. 3.
nu. 12.

9. Verum Bonacina, Possevinus, Zambrianus apud eundem Leand. sustinent, esse peccatum, uti Oleo alterius anni, licet non explicent, peccatum mortale sit, an veniale. Et quidem Leander b loc. cit. ait, hos dicere, esse peccatum mortale, sed Castrop. e ait, hos non explicare, an hoc peccatum mortale sit. Quinam ex his duobus Doctoribus verius referat, videat, qui otiosus est.

Denique Castropalaus loc. citat. sic habet. Cum gravis sit materia; uti Oleo veteris anni, si præceptum adfit, culpam gravem constituere debet. Hæc ille, sed non explicat, an huiusmodi præceptum adfit.

Ex his vides cur ergo num. 7. dixi subesse periculum mortaliter peccandi, &c.

10. Sed, quando erit iudicanda urgens necessitas, ita ut omne peccatum evitetur? Respondeo, quando timeatur præpropera infirmi mors, ut item, quando de ea dubitatur, quia in dubio favendum est periclitanti: quod iudicium, vel Medicus, vel prudens Vir dabit, & quidem benignè potius, quam rigorosè. In his ergo eventibus, si tempus non suppetat conquirendi novum, utere veteri sine scrupulo.

§. II.

Materia proxima.

1. Proximam materiam dant quinque sensuum unctiones ex prædicto Oleo benedicto. Non enim probo sententiam aliquorum, quos ~~preferunt~~ (sed rejiciunt) Suarez, d. Suar. T. d & Bellarminus, e putantes sufficere unctionem cujuslibet partis corporis: sic enim non verificaretur hujus Sacramenti forma, quæ, ut videbimus, sensus ipsos exprimit signa-
e Bellar. li. 12.
d. Extr. Vn.
c. 10.

2. Dixi (quinque sensuum) nempe Oculorum, Aurium, Narium, Oris, Manuum; intellige, vel locorum his sensibus viciniorum, si fortè quis aliquo ex his careat. Quare unctionum, seu lumborum; & unctio pedum, non sunt de necessitate Sacramenti; imò in fœminis, illa in renibus, propter de-

centiam, semper omittenda est, & etiam in viris, quando difficulter moveri situ possunt, illa autem in pedibus, solum, ibi est exhibenda, ubi fert consuetudo, ut utrumque cum aliis notat Castrop. f

3. Cum autem dictum est (oculorum, aurium, &c.) non ita intelligo, quasi sentiam ex necessitate Sacramenti injungendos esse utrosque Oculos, utrasque Aures, &c. satis enim est ad valorem: unum Oculum, unam Aures, &c. injungi: unde in casu necessitatis, id est, periculi præproperæ mortis, vel similis, unus ex singulis est injungendus. Dico, in casu necessitatis. Nam, quia gravis hæc res semper visa est Ecclesiæ, erit mortale extra necessitatem utrosque sensus non inungere. f Castrop. T. 4. de Extr. Vnct. p. 3. nu. 3.

4. Quamvis autem Castropalaus g doceat, hoc Sacramentum nunquam esse incipiendum ministrari, si timeatur, non posse omnes quinque unctiones perfici, tamen hoc ipse idem limitat pro casu necessitatis, adducitque Layman, aliosque. Nam quando nullum (inquit) Sacramentum ægrotus suscepisset, timereturque decessurus ante finitas quinque unctiones, posset (addo ego, & deberet) sub conditione infirmus inungi in sensu magis obvio v. gr. in Capite, pronunciante Sacerdote formam experimentem quinque sensus, sic. *Per istam Sanctam Vnctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti.* Neque hoc est contra Doctrinam num. 1. allatam ex Bellarmino, nunc enim cogor à necessitate providere infirmo, si fortè possim, &c. g Castrop. loc. cit. n. 7.

5. Tandem moneo, unctionem singulorum sensuum tantam requiri, quanta sufficit, ut sit sensibilis, quamvis per unam guttulam, seu stillulam fiat, quia solum requiritur, ut verè possit dici sensus inunctus, ad quod quælibet sensibilis certè sufficit.

§. III.

Forma Extremæ-Vnctionis.

1. Forma hujus Sacramenti sunt verba deprecaroria, & invalida essent sive indicativa, sive imperativa; (quidquid aliqui pauci contradicant) quia in Orationis modum hoc Sacramentum instituit Christus